

I. Peccator fremere debet horrore criminum suorum, eaque detestari: *Infirmus spiritu, & turbatus seipsum.* Status sui miseriam considerare, Jesum invocare ut veniat, & misericordiae suae oculis respiciat infelicem animam, mortuam, & quae ab illo uno vivificari potest, corruptam, foetentem. *Domine, veni & vide.* 2. Pœnitentiæ lacrymis ablucere debet peccata sua, quas eliciat lacrymæ Jesu illius mortem flentis, sanguis Jesu pro ejus peccatis effusus. *Et lacrymatus est Jesus.* Lacrymæ sunt amoris testes, nec ex solo pœnarum timore, sed amore pœnitente profusa. *Ece quomodo amabat eum.* 3. Tollantur omnia conversionis impedimenta. Duritia cordis piorum librorum lectione; occasiones peccati derelictione personarum, societatum, locorum, officiorum, vanitatum, oblectamentorum, quæ ad peccatum pertraxerunt & illexerunt: humani omnes respectus firmo vitæ novæ proposito, & inchoatione. *Tollite lapidem.* 4. Deum ferventer orare debet peccator pœnitens ut animæ suæ vitam gratiæ restituat, idque ut impetret, oculi cordis erigendi sunt in cælum per divinæ misericordiae fiduciam. *Elevatis sursum oculis.* 5. Ad vocem gratiæ, non vulgaris, sed fortissimæ & efficacissimæ; clamantis, *Lazare veni foras,* de sepulcro prodeat peccator ille quem moles consuetudinis premit, peccata sua confiteatur. *Quid est foras prodire* (inquit S. Augustinus) *nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confiteatur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret: Vivere non posset, nisi resuscitatus esset.* 6. A sacerdote Christi ministro, cui comperta erit peccatoris pœnitentis vita certis iudiciis, absolvi debet secundum mandatum Domini. *Solvite illum, & sinite abire.* Ipsum Lazarum attende: cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo; sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est,

S. August.
Serm. 67.
aliq. de
Forsis Dom.

S. August.
ibid.

DOMINICA IN PASSIONE. 301
*Qua solveritis, soluta erunt, nisi quod ait Dominus
continuo ad Discipulos, Solvite illum, & sinite
abire?*

DOMINICA IN PASSIONE.

*Responderunt Judæi, & dixerunt ei: Nonne
bene dicimus nos quia Samaritanus es tu,
& demonium habes? ... Tulerynt ergo la-
pides ut jacerent in eum.* Joan. viij. 48.

CHRISTUM Jesum Salvatorem nostrum blasphemis suis & calumniis persecuti sunt Judæi, antequam ipsum in crucem agerent. *Illum in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* demonium habere, ora infernalibus clamant: Samaritanum appellant eum qui Dei cultum honorèque verbo & operibus promovet, qui gloriam suam non querit, quem Abraham desideravit & coluit, ex fide in ipsum justificatus: lapidibus petunt Sanctum sanctorum, quem arguere non possunt de peccato, Dei Filium coæternum Patri, & ab illo glorificatum, imò in gloria & in omnibus æqualem. Jam ergo patitur Christus à Judæis, qui & ejus divinitati injuriam faciunt blasphemis suis, & illum calumniis suis ut hominem proscindunt. *Os suum posuerunt in calum, & lingua eorum transivit in terra.* Hi sunt de quibus Propheta in persona Christi ait: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* O Linguas præcidendas! Poterat Jesus terram aperire, ut illos vivos absorberet, sicut Core, Dathan & Abiron: poterat ursos immittere, qui illos discerperent ac devorarent, sicut pueros insultantes Eliseo: Mittere poterat Angelum; qui illos interficeret, ut blasphemum Rabfacem & Assyrios. Verum nihil humilissimi facit mitissimus Jesus. Non enim venit ut po-

Cilios. ii. 9.

Psal. 73. 9.

Psal. 21. 24.

tentiam ostenderet, sed ut patientiam doceret. Id unum respondit: *Ego demonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* Calumniatorum & maledicorum lingua quotidie Christus in honoratur in membris suis, non à Judæis, sed ab iis qui se Christianos profitentur. Quæ enim membris suis inferuntur injuriæ, calumniæ, detractioes, convicia, sibi ipsi illata reputat. *Saule Saul, quid me persequeris? . . . Ego sum Jesus quem tu persequeris.* Persecutorem suum vocat persecutorem membrorum suorum. *Caput enim & membra unus est Christus.* Cùm detractio vitium sic tam commune, hoc Sermone ab eo deterrendi sunt Christiani, & ostendendum. 1. Eos verò demonium habere, seu eorum linguas à diabolo moveri, cique ad peccati propagationem & ad Regnum ejus extendendum atque firmatidum servire, qui proximum calumniantur, vel ejus famæ detrahunt. 2. Eos qui calumniam patiuntur, & quorum famæ detrahitur, Christi Jesu patientiam & mansuetudinem imitari debere.

I. Quæ mala à lingua maledica proveniunt?
 Detractio quàm grave crimen . . . Serpens & detractor æquales . . . Detractio extremus vclut diaboli laqueus . . . Libido detrahendi, propagatrix peccati . . .
 Detractionis vitium, præcipuè impugnat & persequitur caritatem . . . Variæ obretractorum artes . . .
 Lingua maledicæ crudelitas . . . Lingua maledica, crudelior lancea quàm Christi latus confossus est . . . Detractio crudelitati homicidii proxima. (*Lib. 3. Tract. de Peccatis, Cap. 9. Art. 5. Regulâ 10.*) Varii detrahendi modi. (*Regulâ 17.*) Non excusatur à peccato mortali, qui graves detractioes ab aliis auditas referendo & repetendo suas facit. . . Detractio ab uno traducitur ad plurimos, ingenitâ maledicendi libidine, singulose peccatores constituit. (*Ibid. Regulâ 19.*) Lethalis peccati rei sunt, qui alios ad detrahendum incitant: aut gravem obretractationem lubenter & cum voluptate

audiunt: aut non corripunt detrahentem, cum ad id tenentur ex officio. (*Ibid. Regulâ 24.*) *Detractor & libens auditor, diabolum portat in lingua.* Quisquis falsum crimen imposuit alteri, aut verum ejus crimen injustè & contra debitum ordinem prodidit, famam ejus restituere tenetur quo meliori modo fieri potest. Nisi verò ad id præstandum sit paratus, absolvi Sacramentaliter non debet. (*Regulâ 28.*) Quàm necessaria & quàm difficilis alienæ famæ restitutio. (*Ibid.*)

Lingua universitas iniquitatis. Detractio universale peccatum. Triplex peccatum universale. 1. Peccatum Adami universale est propagatione, quia in omnes ejus posteros diffunditur. 2. Peccatum Judæorum, qui Christum persecuti sunt & crucifixerunt, malitiâ universale est. 3. Peccatum Angelorum apostatarum universale est duratione, quia ita fuerunt in malo obſtinati, ut agere penitentiam non possent. Detractio universale peccatum est, 1. Ratione propagationis, quia plures inficit, quodammodo similis peccato Adami. 2. Ratione malitiæ, ut peccatum Judæorum, quorum crudelitatem imitatur. 3. Ratione durationis, quia detractores difficilè respiciunt & satisfaciunt. Circulus peccatorum ex lingua maledica. *Instammat rotam nativitatæ nostræ inflammata à gehenna.*

II. Qui calumniam patiuntur, & quorum famæ detrahitur, Christi Jesu patientiam & mansuetudinem debent imitari. Detractionem detractione elidere, calumniam calumniâ repellere nunquam licet; nec absque lethali peccato fieri potest. (*Lib. 3. Tract. de Peccatis, Cap. 9. Art. 5. Regulâ 27. & Cap. 11. Art. 4. Regulâ 10.*) In hodierna S. Evangelii lectione, à Parentia discimus patientiam. Quid enim sumus servi ad Dominum, peccatores ad Justum, creatura ad Creatorem; Tamen quomodo si quid mali sumus, à nobis sumus; ita quicquid boni sumus, ab illo & per illum sumus. *Et nihil sic homo quarit potentiam:*

Paulinus
Euseb.
Epiſt.

Jacobi. 6.

Jacobi.

ce S. August.
ce Tract. 43.
ce 10. Jan.

ce

ce

Al. 1.

S. August.

304 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.
habet Dominum Christum magnam Potentiam : sed
prius ejus imitetur-potentiam, ut perveniat ad poten-
tiam. Quis nostrum patienter audiret, si alicui diceretur,
Dæmonium habes? Quod dictum est ei qui non so-
lum homines salvabat, sed etiam demonibus impe-
rabat.

IN EADEM DOMINICA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veri-
tatem dico vobis, quare non creditis mi-
hi? .. Ego gloriam meam non quero. Joan.
viii 46. 50.

DEUS perfectionis sanctitatisque suæ nos imitato-
res esse jubet. Sancti estote, inquit, quia ego san-
ctus sum... Estote perfecti, ait Christus, sicut Pater
vester celestis perfectus est. Filius Dei naturam huma-
nam suscepit, ut cum velut omnis sanctitatis exem-
plar imitari possemus. Exemplum dedi vobis, ut quem-
admodum ego feci, ita & vos faciatis. Sancti esse de-
bemus corde, ore, & opere. Corde, per intentionis
puritatem. Ore, per sermonis veritatem. Opere, per
vitæ omnimodam integritatem, actionumque probita-
tem. Ut opere sancti simus, vita nostra conformanda
est vitæ Christi. Quis ex vobis arguet me de peccato?
Ut sermone sancti simus, sermones nostri conforman-
di sunt sermonibus Christi. Si veritatem dico vobis,
quare non creditis mihi? Ut corde sancti simus, inten-
tio nostra conformanda est intentioni Christi. Ego glo-
riam meam non quero. 1. Odisse & fugere debemus
omne profusum peccatum, non mortale solum, sed ve-
niale, quod voluntate deliberatâ committitur, ut inno-
centiam & sanctitatem Christi pro viribus imitemur.
2. Mendacium omne speciatim vitare debemus, ut
Christi

Levit. 11. 44.

Matth. 5. 48.

Joan. 17. 17.

DOMINICA IN PASSIONE. 305

Christi veracitatem imitemur. 3. Vanam gloriam ac
jactantiam fugere debemus, ut intentionem nostram in-
tentioni Christi conformemus.

I. Dei perfectiones imitandæ... In divinarum per-
fectionum imitatione semper proficiendum. (Lib. 1.
Quæst. 2. Art. 2. §. 16.) Christi hominis sanctitas
infinita & immensa. Impeccantia Christi. (Art. 4.
ejusdem Quæstionis, §. 2.) Quo sensu Christus dicitur fa-
ctus pro nobis peccatorum? (Ibid.) Pro peccatis nostris par-
trem solvere Deo non potuisset, nisi impeccabilis
fuisset. (Art. 5. ejusdem Quæstionis, §. 6. n. 3.) Ne-
mo homo, Christo & Deipara Virgine exceptis, fuit,
est, vel erit ita perfectè justus, ut fuerit, sit, vel fu-
turus sit sine peccato. Nemo dicere potest, Quis ex
vobis arguet me de peccato? (Lib. 5. Cap. 2. Art. 8.
n. 2.) Mortifera tamen peccata non faciunt bonæ fidei
& bonæ spûs Christianus : sed illa sola quæ quotidia-
no orationis penicillo tergantur. Christiani sanctita-
tem profitentur, & sancti passim ab Apostolo appel-
lantur : Vocatis sanctis. Sanctitas porro in observa-
tia mandatorum Dei & Evangelii Christi consistit, de
quibus ait : Si quis sermonem meum servaverit, mortem
non gustabit in æternum.

S. August.
serm. 122.
Noviss. Edit.
Joan. 7.

Evangel.
Matth. 23.

II. Mendacium omne lege divina prohibitum, per
seque illicitum ac malum est. Mendacii magister & pa-
ter diabolus. Numinum quæ Gentiles colebant, falsi-
tas inde demonstrata, quod mendacia oracula funde-
rent. (Lib. 4. Cap. 10. Art. 2.) Octo mendacii ge-
nera. (Ibid.) Diabolus æquivocationum & restrictio-
num mentalium auctor. (Ibidem.)... Falsum testimonium
lethale peccatum est, & quidem gravissimum. (Ibid.
Art. 3. Regulâ 1.) Mendacium omne quod Deo injurio-
sum aut proximo graviter noxium est, mortale peccatum
est. (Ibid. Reg. 5.) Pro vita alterius temporali, vel sua
servanda, ventiri non licet. (Regulâ 6. & 7.) Nec pro
æterna alicujus salute procuranda. (Regulâ 9.) Æqui-

vocationum & restrictionum mentalium usus per se malus est, & quavis in occasione, rerumque circumstantiis quibuscumque, illicitus. (Regula 11.) Qui restrictiones mentales & æquivalentes jurando adhibent, lethale perjurium committunt. (Lib. 4. Cap. 4. Art. 3. Regula 11.) Dei veri cultores; Christi, qui Veritas est, Discipuli; Verbo veritatis geniti; Spiritum veritatis sanctificati; Pane vero de caelo, id est, Christi corpore nutriti; Ecclesie, quæ columna est & firmamentum veritatis, filii, vocati, ut secundum Dei legem, quæ veritas est, viventes, apprehendant veram vitam, abhorreere debent à mendacio, Veritatem loqui cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra.

Ephes. 4. 25.

Nullus in dicenda veritate labor; mendacia & æquivalentes abique labore non queruntur, non proferuntur. Laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit quod dicit. Nam qui verum vult dicere, non laborat. Ipsa enim veritas sine labore loquitur. Caput circuitus eorum; labor laborum ipsorum operiet eos. . . Ecce parturit in justitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. In omni enim opere malo labor est, & omne opus malum, cogitatum mendacium ducem habet: non enim est veritas nisi in opere bono. Et propterea quia omnes laborant in mendacio, veritas quid clamavit? Venite omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ipsa est vox clamanti ad laborantes in alio Psalmo: Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendaciam? Aperit autem alio loco labor est in mendacio: Docuerunt linguas suas loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt.

S. August. in Psal. 119.

Psal. 119. 35.

Psal. 7. 35.

Matth. 11. 28.

Psal. 4. 3.

Jerem. 9. 1. 22.

III. Recte intentionis in omnibus operibus nostris necessitas. (Lib. 3. Tract. de Peccatis, Cap. 4. Art. unico, Regula 5 §. n. 4.) Remedia contra vanam gloriam. 1. Operum nostrorum defectus considerandi.

2. Considerandum, quicquid boni in operibus nostris est, Dei munus esse. 3. Æternæ gloriæ præmio vanam gloriam nos frustrari. 4. Considerandum Christi exemplum, qui vanam gloriam fugiendam verbis factique docuit. 5. Oculi nostri à bonis operibus nostris averteendi, & in peccata nostra reflectendi. Considerandum quid nobis desit. (Ibid. Cap. 5. Art. 13. De instantia. (Art. 16.) Nemo ergo Christianus in se ipso, sed in Domino tantum gloriatur, & cum Christo dicit: Ego gloriam meam non quero. . . Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.

IN EADEM DOMINICA.

Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit, & gavisus est. Joan. viij. 56.

Hodierno Evangelio docemur quid de Christo Jesu credere, quid in eo imitari debeamus. Credere debemus, Deum verum esse, hominemque perfectum. Imitari in ipso debemus humilitatem, mansuetudinem & patientiam, quarum virtutum exempla præbet in isto cum Judæis congressu, quem Evangelium ab Ecclesia hodierna die propositum commemorat. Christum verum Deum esse credendum hæc verba ostendunt: *Est Pater meus, qui me glorificat, quem vos dicitis quia Deus vester est.* Jesus igitur Dei Filius est, non adoptione, ut Abraham & Prophetæ, cæterique iusti, sed naturâ. Unde subdit: *Amen, amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum.* Appende verba, & cognosce mysterium. Intellige, fietet, ad humanam naturam; sum verò, ad divinam pertinere substantiam. Fietet, quia creatura est Abraham, Non dixit, Antequam Abraham esset ego etiam; sed,

S. August. Tract. 44. in Joan.

308 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.
Antequam Abraham fieret, qui nisi per me non fieret, ego sum. Neque hoc dixit, Antequam Abraham fieret, ego factus sum. In principio enim fecit Deus calum & terram: nam In principio erat Verbum . . . Antequam fieret Abraham, ego sum. Agnoscite Creatorem, discernite creaturam. Qui loquebatur, semen Abrahae factus erat: & ut Abraham fieret, ante Abraham ipse erat. Atque hoc sensu verba Jesu intellexere Judæi, quibus blasphemasse visus est: unde Tulerunt lapides ut jacerent in eum. Id confirmat vitæ æternæ promissio ab illo facta his qui sermonem ejus servaverint. Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum. Nam à morte æterna liberare, & vitam æternam largiri non convenit nisi Deo vero. Cùm Jesus moriturus hæc loqueretur, non temporalem, sed secundam & æternam mortem spectabat, de qua nos liberare venerat. Ipsa est vera mors, nam ista migratio est. Quid est ista mors? Relictio corporis, depositio sarcinae gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennas precipietur. De illa ergo morte Dominus dixit: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum. Non expavescamus istam mortem, sed illam timeamus. Servemus Christi sermonem in fide: perventuri ad speciem, cùm acceperimus plenissimam libertatem. In eodem cum Judæis sermone Jesus se homines à peccato liberare docet, quod veri Dei proprium est. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati, servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. Si ergo vos Filii liberaverit, vere liberi eritis. Denique se principium esse ait, per quod scilicet omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui & loquor vobis. . . Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris: id est, nisi credideritis quia Ego sum qui sum, quia Deus sum. Solus enim Deus propriè est, oranes creaturæ,

S. August.
 Tract. 44.
 in Joan.

Joan. 1. 35. 36.

Joan. 1. 31.

DOMINICA IN PASSIONE. 309

quasi non sint, sic sunt coram eo. Solus Deus immutabilis, adeoque immortalis. Omnis mutatio mors quædam est. Principium, qui & loquor vobis. Principium mutari non potest: principium in se manet, & innovat omnia: principium est cui dictum est: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Jesum non solum Deum verum, sed & hominem perfectum simul credi oportere, Evangelium hodiernum docet. Abraham Pater vester exsultavit ut videret diem meum, (ait Jesus Judæis) vidit, & gavisus est. Magna res agebatur, quando Isaac conjux quærebatur. Sed ut hoc cognosceret servus quod noverat Abraham, quia nepotes non carnaliter desiderabat, nec de genere suo aliquod carnale sapiebat, ait servo quem mittebat: Pone manum tuam super femur meum, ut adjurem te per Dominum, Deum celi & terre, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac. Per femur, genus. Hæc ergo juratio significabat de genere Abraham venturum in carne Deum cæli. Etenim Propheta erat Abraham. Cujus Propheta? feminis sui, & Domini sui. Semen suum significavit dicendo, Mitte manum sub femore meo: Dominum suum significavit addendo: & jura per Deum celi. Se denique verum hominem ostendit Jesus, cùm fugit tanquam passurus, tanquam moriturus, tanquam nos suo sanguine redempturus, & abscondit se à Judæis, ne ipsum lapidarent.

S. August.
 Tract. 44.
 in Joan.
 Genes. 24. 2.

II. Quid in Christo debeamus imitari, hodiernum Evangelium ostendit, scilicet humilitatem, mansuetudinem, patientiam. Discite à me, (inquit aliàs) quia mitis sum & humilis corde. Non ait, Discite à me mundum creare, mortuos suscitare, aut alia miracula facere, sed quia mitis sum & humilis corde. Id opere, ut verbo docuit. Cæpit enim facere, & docere. Maledi-

Matth. 11. 29.

ctum maledicto non reddidit, convicium convicio non refutavit, respondit solum cum admitabili mansuetudine: *Ego demonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego gloriam meam non quero.* Confutat blasphemiam, convicium refellere negligit, ut nos solas injurias Deo factas curare, nobis illatas negligere & condonare doceat. Dæmonium se habere negat, Samaritanum se esse non negat. Quid causæ præterea? Samaritanus idem significat quod custos. Noverat se Jesus nostrum esse custodem. *Non enim dormitat, neque dormit, qui custodit Israel.* &c. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Est ergo ille custos noster, qui creator noster. Num enim pertinuit ad eum ut redimeremus, & non pertinere ut salvaremur? Denique ut noveritis mysterium, quare se Samaritanum negare non debuit, parabolam illam notissimam attendite, ubi homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui eum graviter vulnerantes, semivivum in via reliquerunt. Transit Sacerdos, neglexit eum: transit Levites, & ipse præterit: transit quidam Samaritanus, ipse est custos noster, ipse accessit ad faucium, ipse impendit misericordiam, eique se præstitit proximum, quem non deputavit alienum. Patientiam denique Jesu imitari debemus, qui cum Judæorum insultum illum impetere lapidibus volentium, supplicio terribili ulcisci posset, abscondere se maluit & fugere. Tertiam aperire poterat, ut eos absorberet, ac pro lapidibus inferos invenirent: *Sed magis erat commendanda patientia, quam exerenda potentia.* Peccatores excæcati, indurati, ingrati, lapides in Christum jaciunt, patientiæ ejus abutuntur. *An divitiis bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impatientiam cor, thesaurizans tibi iram in die ire.* Abscondit se ab eis Jesus, il-

Psal. 120. 4.

Psal. 124. 1.
S. August.
Tract. 44.
in Joan.

Luc. 10. 30.

Rom. 2. 4. 5.

FER. II. POST DOM. V. QUAD. 311
lorum corda magis obdurat, non infundendo malitiam, sed subtrahendo misericordiam: fugit ab impiis; sed *Vae illis à quorum lapideis cordibus Deus fugit.*

FERIA II. POST DOMINICAM V.
QUADRAGESIMÆ.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Quæretis me, & non invenietis. Joan. vij. 34.

Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? (inquit Deus per Prophetam) Nunc promissis æternæ beatitudinis, nunc minis desertionis, & damnationis sempiternæ homines à peccato deterret, ad justitiam allicit. Optimus pædagogus timor, præsertim in amore Dei fundatus. *Timor, fundamentum salutaris est: præsumptio impedimentum timoris. . . Timor hominis Dei honor est.* Nihil utilius est & efficacius ad gratiam obtinendam, conservandam, recuperandam, quam timere. 1. Ne actualis gratiæ auxiliis fideliter non cooperemur. 2. Ne à gratiâ sanctificantē excidamus. 3. Ne gratiâ semel amissam non recuperemus. *Timeas pro accepta gratiâ, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata.* Vide Lib. 1. Theolog. Dogmat. & Moral. Quæst. 2. Art. 5. §. 10. n. 13.

1. Videte ne in vacuum gratiâ Dei recipiatis . . . Stat ad osium Verbum Dei, & pulsat osium animæ nostræ, & dicit: *Ecce sto ad osium, & pulso: si quis aperuerit, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire, sed à nobis ne introcat excluditur.* Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. Qui si cæperit emundatis omnibus patere, illico introibit, modo solis, qui clausis fenestris valvis introire prohibetur, patentibus verò totus immittitur. Ipsi quidem semper ut illuminet, promptum est: sed lumen sibi domus ipsa

Tertull. Lib.
2. de Cultu
Femini.
Idem Lib. de
Penitentia.S. Bernard.
Serm. 54. in
Canticis.

2. Cor. 6. 9

S. Hieronim.
Psal. 121.
Vers. 69.

obseratis aditibus excludit. Est enim Verbum Dei sol
iustitia, adstans unicuique ut introeat: nec moratur
lucem suam apertis aditibus infundere. Cum ergo
Christus per gratiam suam te vocat ad bonum, cave ne
gratiae desis, ne in te vacua sit, ne vocanti resistas, ne
infidelitate tua privationem ejus mereare. Huic fortè
gratiae, cui respondere & fideliter cooperari negligis,
annexa est ceterarum series gratiarum, quae tibi ad
vincendas tentationes, ad peccata vitanda, ad bona o-
pera peragenda necessariae sunt; annexum est perseve-
rentiae donum, annexa est denique salus tua. Prima illa
gratià abuteris, resistis, impedimentum affers, cor
pulsanti Deo claudis per peccatum: de salute tuà actum
est; querit te Deus, & ad cum venire recusas; illum
aliquando quæres, sed frustra, non enim invenies, quia
non quæres ut oportet, & quia iusto iudicio recessit à
te, numquam rediturus. Sic recessit à Saùle, cujus re-
probationis causa fuit inobedientia in re quae probabili-
lem illi habere visa excusationem est. Numquid vult
Dominus holocausta & victimas (inquit Samuel) &
non potius ut obediat voci Domini . . . Pro eo ergo
quod abiecasti sermonem Domini, abiecit te Dominus
ne sis Rex . . . Scidit Dominus Regnum Israël à te
hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro
Triumphator in Israël non parceret, & penituntiam non
flectetur. Et directus est Spiritus Domini à die illa in
David. Quamobrem si vocem ejus audieritis, nolite ob-
durare corda vestra.

II. Timendum ne à gratia sanctificante excidamus.
Neminem Deus deserit, nisi prius ab eo deseratur. Vi-
gilandum semper & orandum, ne inducamus in tenta-
tionem, ne in via lubrica & laqueis plena cadamus,
quia Habens thesaurum istum in vasīs fictilibus, ut
sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Quae ja-
ctura magis timenda est, quam iactura gratiae, quae me-
ritorum omnium praecedentium amissionem involvit &

2. Reg. 13.
& 14.

S. August.
Concil. Trid.

2. Cor. 4. 7.

Sacramentorum frequentatio, preces quantumvis fer-
ventes, elemosynae quantumvis uberes, mortificatio-
nes carnis quantumvis austeræ, nullo in loco, nullo
in numero, in nullo pretio sunt apud Deum, si iustus,
qui bona illa opera fecit, à gratia excidat per mortale
peccatum. Si averteris se iustus à iustitia sua, & fe-
cerit iniquitatem, numquid vivet? . . . Omnes iusti-
tia ejus quas fecerat, non recordabuntur. Anima sine
gratia, terra sterilis est. Quicquid boni fit à peccatore,
nullius est apud Deum meriti; nullus est vitam aeter-
nam utilitatis. Si caritatem non habuero, nihil mihi
prodest. Temporalem fortè mercedem ob opera mora-
liter bona recipiet peccator, non aeternam. Sterilis est,
ut Rex Jechonias, quamvis filios habeat, quia bona
ejus opera, si quae sunt, in statu peccati mortalis edita
, numquam coronabuntur, numquam ad gloriae tro-
num provehentur. Hac dicit Dominus: scribe virum
istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.
Qui à gratia excidit per peccatum mortale, frust-
ratur omni bono quod facere cum gratia poterat, spoliatur
omni bono quod facit; in funestam operandi bonum,
ut oportet ad salutem, impotentiam incidit,
quandiu in statu peccati permanebit. Ad nihilum redactus
suum, & nestivi. Ut verò conservemus gratiam,
non modò peccata mortalia, sed & venialia, quae cum
plena deliberatione fiunt, pia sollicitudine cavere de-
bemus: quia venialia peccata disponunt ad mortale,
cùm eorum frequentatione cupiditas augeatur, caritas
minuatur & refrigeret; animi violationi legis Dei in
minoribus rebus assuescens sensum propensionem contra-
hat ad lapsum etiam in majoribus; & divinæ gratiae au-
xilium ad graves tentationes vincendas necessariis, in pe-
nna venialium peccatorum, quae vitare negligit, in-
terdum privetur. Qui spernit modica, paulatim deci-
det. Hoc sensu S. Augustinus ait: Minuta plura pec-
cata, si negligantur, occidunt. Minuta sunt guttae qua-

Exech. 18. 24.

1. Cor. 13. 8.

Jerem. 17. 10.

Tsal. 71. 21.

Eccl. 11. 19.
S. August.
Tract. 15. 18
Ivan.

flumina implent; minuta sunt grana arena, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facti sentina neglecta, quod facit fluctus terricus: paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo mergit navim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo? Vide Theolog. Dogmat. & Moral. Lib. 3. Tract. de Peccatis, Cap. 1. Art. 5.

III. Timendum ne gratiam semel amissam non recuperemus; quia vel tempus deicit Deum querendi, vel gratia, ut sicut oportet illum queramus: *Queritis me, & non invenietis.* Ergo *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocare eum, dum prope est.* Erit tempus quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabilis secabitur siccitate. De misericordia Dei non præsumendum. Utile erit si vereamur ne morte intercepti, tempus penitentia: agenda non habeamus; ne doloribus oppressi, vices non habeamus; ne iusto Dei vindicis iudicio gratiâ destituamur, quam recuperare negleximus per penitentiam; utile (inquam) erit si hæc timeamus; periculosissimum verò si nobis tempus, vices, gratiam adfuturam præsumamus. Nam *Timendo cavebimus, cavendo salvi erimus: contra si præsumamus, neque timendo, neque præcavendo salvi erimus.* Qui securus agit, non & sollicitus, non possidet turam & firmam securitatem. *At qui sollicitus est, is verè poterit esse securus.* Penitentia igitur continuò agenda, bonis operibus perseveranter vacandum; adversus cupiditates nostras indefessè ac fortiter pugnandum est: & sic vivendo, sanctam mortem optare, non præsumere oportet. *Qui enim optat, honorat: qui præsumit, superbit. In illo verecundia, in isto perulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic ut debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic invadit. Quem censas digniorem, nisi emendatiorem?*

Isai. 15.

S. Bernard.
Sermon. 4. de
Diversis.Tertull. Lib.
2. de Cultu.
Fœtus.Tertull. Lib.
de Eun. C. 6.

quem emendatiorem, nisi timidiorem, & idcirco verè penitentiam sanctum? Timuit enim adhuc delinquere, ne non mereretur accipere. At ille præsumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit: sic nec penitentiam implevit, quia instrumento penitentia, id est, metu caruit. Præsumptio, invocandæ portio, est, instat petiorem, despicit datorem. Vide Lib. 4. Theol. Dogm. & Moral. Cap. 3. Art. 9. Regulâ 7.

FERIA IV. POST DOMINICAM V.
QUADRAGESIMÆ.

Oves meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis. Joan. x.

Prædestinationis Sanctorum Mysterium Christiano populo prædicandum est, sicut & cætera salutis nostræ Mysteria, ad ejus instructionem & ædificationem. 1. Deus prædestinatione suâ vitam æternam ante constitutionem mundi electis suis gratis præparavit, ex misericordia, sine ullo ad eorum merita respectu. 2. Deus vitam æternam in tempore dat electis suis propter bona eorum opera. 3. Certissima est prædestinatio, nec deficere potest.

I. Prædestinatio Sanctorum ad gloriam ex misericordia gratuita est: Nihil igitur nobis tribuere debemus, sed totum à Deo sperare in negotio salutis nostræ.

II. Deus vitam æternam Sanctis suis in tempore dat propter eorum bona opera: igitur bonis operibus perseveranter vacare debemus.

III. Certissima est prædestinatio, nec deficere potest: & nihilominus timere debemus, ne ex ovium Christi numero non simus.

I. Prædestinatio sanctorum mera misericordia est.

Nemini homini gratia aut gloria debita. Omnes in eadem massa damnationis propter originale peccatum. Ex ea ut unus præ alio liberetur, meræ misericordiæ est; ut

Rom. 9.
S. Aug. 8.
Enchirid.
Cap. 99.

alius relinquatur, iusti iudicii. Cujus vult miseretur, & quem vult indurat. . . Miseretur ergo Deus magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis gloriatur, nec damnatus nisi de suis meritis congeratur. Sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam

Rom. 9.

ab origine ducta causa communis. Quid igitur obmurmuras & queretis? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus lutæ ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa ire apta in interitum, ut ostenderet divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam. Ratio prædestinationis sanctotum ad gloriam non alia, quam æternus Dei erga illos amor.

Jerem. 31. 3.

In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.

Luc. 12.

Hujus prædilectionis nulla ratio præter divinam bonitatem, præter beneplacitum Patris cælestis. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Humana hic merita conticecant: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est. . . Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor, & misericordiam prestabo cujus miserebor. Igitur neque volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Prædilectio, vocatio, justificatio, glorificatio, solius divini beneplaciti, solius misericordiæ, solius amoris Dei erga electos suos actus sunt, quos prior dilexit, quos elegit in Christo ante mundi constitutionem ut sancti essent, illicque conformes. Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri

Rom. 8.

imagini filii sui, ut sic ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit. Quos autem justificavit, illos & glorificavit. Vide Lib. 1. Theol. Dogmat. & Moral. Quæst. 2. Art. 2. §. 17. sub eotitulo, Quid de prædestinatione sentiendum? Æternæ gloriæ convivium electis suis cur præparaverit Deus, ne curiosius quæras: Ideo præparavit, quia præparare voluit. Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus. In salutis ergo nostræ negotio & æconomia, totum à gratuita Dei ergo nos misericordia est. Igitur in nullo gloriantium, quando nostrum nihil sit.

1. Th. 4. 10.

S. Cyprian.

II. Deus vitam æternam sanctis suis dat in tempore propter bona eorum opera. Ideo corona justitiæ vocatur ab Apostolo. Ideo cum bravo & deposito comparatur. Sicut enim in agone contententibus & in stadio currentibus, corona corruptibilis datur ut cursus victoriæque præmium: ita currentibus in via mandatorum Dei, & contra salutis hostes dimicantibus, incorrupta corona tribuitur ut præmium victoriæ. Nescitis quod si qui in

2. Tim. 4.

1. Cor. 9.

stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Bona opera quæ facimus, & passionem quas propter Deum perferimus, apud Deum deponuntur, qui in novissimo die pro his præmium æternum electis suis retribuet. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. . . Cur vita æterna non dicitur stipendium justitiæ, sicut mors dicitur stipendium peccati? . . . Vita æterna gratia pro gratia. Igitur Cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. Bona quippe opera creat in nobis per gratiam suam. Creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ preparavit Deus ut in illis ambulemus. Hinc Propheta ait: Pro nihilo salvos

2. Tim. 1.

S. Aug. 8.

Ephes. 2.

Psal. 15.

faciis illos, id est, *Gratis data gratia tua* (inquit S. Augustinus) nobis tamen cooperationis honorem tribuit, quamvis ut cooperemur, ipse prior operetur in nobis. Vide *Theolog. Dogmat. & Moral. Lib. 1. Quest. 2. Art. 2. §. 17. n. 2.* sub eo titulo, *Aeterna electio sine meritis, salus ex meritis.* Hinc gloria caelestis interdu thelauto abscondito in agro comparatur, quem homo felici sorte invenit: aliis gemma, quam ut inveniat mulier diligentissimè quaerit: modò fonti, cujus aquae gratis profluunt: *Fons aquae salientis in vitam aeternam*: modò puteo, cujus aquae non sine labore hauriuntur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Hinc Ecclesiam Christi sponsam *A Deo paratam*, se tamen praeprate scribitis. Joannes: *Uxor Agni preparavit se.* Bonis igitur operibus studeamus, in illisque nos perseveranter exercemus. *Vocavit nos propria gloria & virtute* (inquit Apostolorum Princeps:) *Vos autem curam omnem subinserventes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amore fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.*

Joan. 10.

III. Certissimam esse praedestinationem sanctorum, nec defecere posse, docet Christus in hoc ipso, quem tractamus, Evangelii loco: *Oves meae vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam aeternam do eis. Et non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. . . Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Lege *Lib. 1. Theolog. Dogmat. & Moral. Quest. 2. Art. 2. §. 17. n. 3.* sub eo titulo, *Quamvis certa praedestinatio sit, &c.* Sed quamvis eorum qui praedestinati sunt in Regnum Dei ita certus sit numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis; rectè tamen & ipsis praedestinatis dicitur: *Cum metu & tremore vestram salutem operami-*

Phillip. 2. 12.

ni: & , *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Quasi eos perseveraturos habeatur incertum. Nec aliter hæc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quando in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat? Istud ergo secretum esse vult Deus, *Ne forte quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum est quò perveniant.* Praesumptio enim in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Rectè etiam dicitur omnibus: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Et, *Noli altum vocare, sed time.* Timendum non servili anxietate, sed filiali sollicitudine, cum fiducia conjuncta, in immensa Dei bonitate, & Christi Jesu sanguine sperando. Piam autem fiduciam in nobis generabunt signa praedestinationis, quae per Dei gratiam in nobis emicabunt; inter alia, auditio verbi Dei, eo animo ut observetur & executioni mandetur. *Oves meae vocem meam audiunt.* 2. Misericordia sive in pauperibus sublevandis, sive in injuriis condoñandis: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* 3. Patientia in adversis, & persecutio propter justitiam constanter tolerata. 4. Bonae vitae cursus, & conformitas cum Christo in caritate, humilitate, mansuetudine, paupertate, passionibus: *Quos praedestinavit conformes fieri imaginì Filii sui.* Denique de numero felici & benedicto electorum Christi nos fore per ejus misericordiam confidamus, si non sumus de numero electorum mundi, de quibus ait Propheta: *Et non communicabo cum electis eorum.* Qui enim habet spiritum mundi, pro quo non rogat Christus, non habet spiritum Christi. *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

1. Apoc. 2.

2. S. August. lib. de Correp. & Graal. Cap. 7. & 1.

2. Petri 1.

Math. 5.

Psal. 140. 6.

Rom. 1. 9.

FERIA V. POST DOMINICAM V.
QUADRAGESIMÆ.

Mulier qua erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Jesus accubisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. Luc. vij.

Isai. 14. 22.

S. Aug. 80 P. fol. 37.

Apor. 17. 4.

In signem peccatricem hodierna S. Evangelii lectio commemorat, cujus neque nomen indicat S. Lucas, neque peccatum expressè designat. Nomen ejus silentio premit, quia peccatorum nomina perdita sunt apud Deum. *Perdam Babylonis nomen.* Ad nihilum enim per peccatum rediguntur, & nihilo viliores sunt in conspectu Dei: *Ab eo qui verè est qui in contrarium pergit, ad non esse pergit.* Quodnam verò fuerit famosa illius mulieris peccatum, intelligendum magis reliquit S. Evangelista, quàm expressit: *Mulier qua erat in civitate peccatrix.* Mulier erat superba, se ipsam inordinatè amans, in elegantia formæ, cæterisque naturæ dotibus sibi complacens, mulier vanitati dedita, in voluptatem effusa; mulier quæ cultu, ornatu, luxu, omnibùque illecebris seu congenitis seu additis & affectatis, corda juvenum totius Urbis nobilitate & opibus florentium Deo eripiebat & sibi devinebat: mulier Amorem profanum incendere gessiens, & ejusdem Amoris ignibus incendi non erubescens: quæ vincere in hoc belli genere gloriabatur, & vinci delectabatur. Mulier erat minimè sapiens. Babylonem illam cogitate, de qua S. Joannes in Apocalypsi. *Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus. Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium.* Non solum erat peccatrix, sed totius

totius civitatis facta fuerat ipsa peccatum, petra scandali, laqueus ad capiendas animas, odor mortis in mortem. 1. Profanus & impudicus amor Deo gravissimam facit injuriam. 2. Mala gravissima infert homini. 3. Contra tam periculosum hostem fortiter pugnandum: ab ejus insidiis sollicitè cavendum est.

I. Amor profanus & impudicus cor eripit Deo, cui uni debitum est totum & totaliter. Id unum à nobis postulat: *Fili prave cor tuum mihi.* Deus est zelotes: *Nullum à se rivulum amoris nostri duci extra patitur, s. Aug. 80.* cujus derivatione minuat. Cor hominis altare est Deo dicatum, in quo offerre ipsi continuè debet incensum orationis & laudis, igne fervide caritatis. Hoc altare pollut profanus & impudicus amator, ignem alienum in illud inferre, locum sanctum contaminat. Neque verò cor solum Deo eripit; sed & corpus, quod Dei templum est, violare non metuit. Ex cordis enim corruptione sequitur in hoc genere peccati corruptio carnis. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Hoc templum in baptisate consecratum. Hujus Templi æditua pudicitia est, sacerdos Spiritus Sanctus. *Cion omnes templum Dei sumus, illato in nos & consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditua & antisua pudicitia est, que nihil im-mundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* Amor profanus & impudicus, affine idololatriæ crimen est. Quid Salomonem ad idololatriam pertraxit? Nonne profanus & impudicus amor? *Adamavit mulieres alienigenas multas... His copulatus est ardentissimo amore... & averterunt mulieres cor ejus... Cumque esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequerentur Deos alienos. Magis reum esse impudicum amatorem eo qui metu aut vi tormentorum in idololatriam lapsus est, Tertullianus asserit. Nemo volens, in-*

Tertull. Lib. 3. de cultu Fœmin. Cap. 14.

1. 25. 11.

quit, negare compellitur: nemo nolens fornicatur. Nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa. Negationem vero quanta compellunt ingenia carnis, & genera poenarum? Quis magis negavit, qui Christum vexatus, an qui delectatus amissus? qui cum amitteret, doluit: an qui cum amitteret iussit? Gravissimam etiam Christo Domino infert injuriam impudicus amator membra ejus violando. Nam corpora nostra membra Christi sunt, ipsi tanquam capiti coherentia, si sanctè & castè vivamus. Non solum in Incarnatione sese naturæ humanæ personali conjungit Dei Filius, sed etiam unicuique nostrum in Eucharistia substantiali simul & sacramentali modo se conjungit. Corpora autem nostra à Christo disjungit amor impudicus, & cum creatura copulat. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens autem membra Christi faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Qui autem adhæret Domino, unus spiritus. Lege Theolog. Dogmat. & Moral. Lib. 3. Tract. De Peccatis, Cap. 8. Art. 1.

II. Amor profanus & impudicus mala gravissima infert homini. Reddit illum corporis sui mancipium, qua servitute nihil est fœdus & probrosum. In aliis affectionibus animus à se ipso vincitur, in hac verò vincitur à corpore, quod ei naturæ inferiore subiectum est. Minus autem pudet cum sibi animus ex vitiosis suis partibus non obtemperat, quam cum corpus, quod alterum ab illo est, atque infra illum est, & cujus sine illo natura non vivit, jubentique non cedit. Amor impudicus quietem, honorem, valetudinem corporis, bona temporalia eripit, pellundat, exhaurit: omnia animi bona corrumpit. Octo filie amoris impudici & luxuriæ, scilicet cæcitas mentis, inconsideratio, precipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri,

Tentil. Lib.
de pudicit.
Cap. 6.

1. Cor. 6.

S. August.
Lib. 14. de
Civitate Dei,
Cap. 22.

quantam in anima stragem edunt? Amatoribus impudicis nemo Italiter, & corum stulticia filia peccati est, peccatum, & peccatorum mater multorum. Stultitia secundum quod est, peccatum (inquit S. Thomas) provenit ex hoc quod sensus spiritualis hebetatus est, ut non sit aptus ad spiritualia dijudicanda. Maxime autem sensus hominis immergitur ad terrena per luxuriam, que est circa terrenas delectationes, quibus anima maxime absorbetur. Unde Spiritus Sanctus de juvene muliere impudice adhærente ait: Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lascivians, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transigat sagitta securus ejus. Velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod eis periculo anima illius agitur. Hinc S. Hieronymus appositè ait: Amor forma rationis oblivio est, & insanie proximus: sedum minimeque convenientis animo hospiti vinum: turbat consilia, viros & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissime anori facit. Nam cum fruentis cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conqueffionibus perdit, odium sui facit, & ipse novissime sibi odio est. Ad hanc stultitiam pertinet Fastidium de Deo, & donis ipsius, inquit S. Thomas. Vide Lib. 3. Theolog. Dogm. & Moral. Tract. De Peccatis, Cap. 8. Art. 4.

III. Contra impudicum amorem fortiter pugnandum, ab ejus invidiis sollicitè cavendum est. Alterius sexus nimia frequentatio & familiaritas vitanda. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem, &c. Mulieris, quamvis pia pecculosa societas. In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniqui-

S. Thomas
secunda se-
cunda Quæst.
41. Art. 3.

Prov. 7.

S. Hieron.
Lib. 1. contra
Jovin.

S. Thomas 6.
cunda se-
cunda Quæst. 41.
Art. 1.

Prov. 6.

Eccli. 42.

Euli. 9.

tas viri. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens. . . Speciem mulieris alienæ multū admirati, reprobi facti sunt. Colloquium enim illius quasi ignis exardescit.

Prov. 4. 19.

2. Cor & sensus sollicitè custodiri debent. Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Pervigili custodiā servandi sensus: Quia ascendit mors per fenestras. Non potest ante Metropolis & arx mentis capi, nisi per portas ejus hostilis exercitus irruerit.

3. Vita mollis, otiosa, voluptaria vitanda est, hæc enim amorem profanum & impudicum amorem remedia sunt. Vide Lib. 3. Theolog. Dogm. & Moral. Cap. supra citato, Art. 5. De aspectibus impudicis vitandis, & oculorum custodia, lege Lib. 4. Theol. Dogm. & Mor. Cap. 8. Art. 2. Regulā 4. Oculus meus depradatus est animam meam. De longè vidit David illam in qua captus est. Mulier longè, libido propè. Alibi erat quod captus est, in illo unde caderet. Numquid tu fortior quam David?

Thom. 3.

S. August. in Psal. 58.

Librorum amatorum lectio, cantiones amatoriar, spectacula & comædia, choreæ & saltationes, amoris profani & impudici incentiva sunt & alimenta. Amatoria procul absint cantica. . . meretricia Musica. Si carmina poetarum Demonum cibum S. Hieronymus vocat, quia Dum aures verbis dulci modulamine currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & peccatoris interna devinciunt: Quid de libris & carminibus amatoris dixisset? Spectacula & comædiæ amoris profani scholæ. Theatrum proprie sacrarium Veneris. Ibi Enervia histrio amorem dum fingit, insiguit. Choreæ & saltationes, Christianorum castitati extioræ. Chorea Circulus est, cuius centrum diabolus, & circumferentia Angeli ejus. In iis, necnon in spectaculis, ubi mulieres & viri Propter mutuum videre & videri

Clemens

Alex. Lib. 2. Pauleg. 6. 4.

Tertull. de

Spectac.

Milit. Relic.

in Oratione

S. Caroli

Barrom.

Tertull.

confluunt, luxuria negotiatur, aut gloria insolescit. Euli. 9. 4. Denique monet Sapiens à Spiritu Sancto afflatus: Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Lege Lib. 4. Theolog. Dogm. & Moral. Cap. 8. Art. 2. Regulis 5. 6. 7. & 8.

EADEM FERIA.

Mulier qua erat in civitate peccatrix. &c.

NE sibi blandiantur Christianæ mulieres, quasi peccatrices non sint, nisi lapsæ sint in extremum luxuriæ malum. Peccatrices sunt cum vanitati serviunt, ac voluptati: Vanitati, cultus immodestus & dissolutione: Voluptati, vitâ molli, otiosa, & omnibus oblectamentis, quæ honesta secundum mundi genium ac mores vocantur, indulgentes. Hæc fortè sola Peccatrici Evangelicæ vitia. Mulier qua erat in civitate peccatrix.

I. Scandali reæ sunt mulieres, quæ ornatu immodesto, dissoluto, aut pretioso nimis, & conditioni suæ non conveniente, & qui profanum amorem & concupiscentiam vitorum excitare possit, utuntur. Mulieres in habitu ornato (inquit S. Paulus) cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in sortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod deceat mulieres promittentes pietatem per opera bona . . . Quarum non sit extrinsecus capillatura (inquit S. Petrus) aut circumdatio auri, aut indumentis vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Itias Spiritu Sancto plenus filiabus Sion propter ornatus immoderationem, lasciviam, superbiam, penas extremas Dei nomine comminatur. Dixit Dominus: Pro eo quod elevata sunt filia Sion, & ambulaverunt extento col-

1. Tim. 2.

1. Petri 3.

ce Isai. 3.

ce

lo, & nubiſus oculorum ibant & plaudebant: ambu-
 20 labant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant:
 21 Decalvabit Dominus verticem ſilarum Sion, & Do-
 22 minus cinem eorum nudabit. In die illa auferet Domi-
 23 nus ornamentum calceamentorum, & lunulas & tor-
 24 ques, & monilia & armillas, & mitras, & discrimi-
 25 nalia, & perſicelides & murenulas, & oliſtacioliola,
 26 & inaures, & annulos, & gemmas in fronte penden-
 27 tes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus,
 28 & ſpectula, & ſindones, & vittas, & theiſtra. Et
 29 erit pro ſuavi odore faſtor, & pro zona finiculus,
 30 & pro criſpanti crine calvitium, & pro falcia pecto-
 31 rali cilicium. Vide S. Cyprianum Lib. *De Diſciplina*
 32 & *Habitu Virginum*. Nec ſe peccatricem non eſſe
 33 exiſtmet, quæ muliebri cultu & ornatus pompa &
 34 diſſolutione in virorum pectoribus amorem accendit,
 35 quia impudico amore ipſa non flagrat, ſed uni ſtudet
 36 vanitati. S. Cyprianum audiant Chriſtianæ mulieres.
 37 Si tu te ſumptuoſius comas, & per publicum notabili-
 38 ter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, ſuſpiria ado-
 39 leſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nur-
 40 trias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas, ut eſti ipſa non
 41 percas, alios tamen perdas, & velut gladium te & vene-
 42 num præbeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta
 43 ſis, & pudica. Chriſtiani indignum eſt gloriam ex
 44 cultu corporis & ornatu veſtigium aucupari. Caſtita-
 45 tis & humilitatis profeſſio Mulieres Chriſtianas ad cul-
 46 tûs & ornatus modeſtiam obligat. *Non de integra*
 47 *conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem*
 48 *naturaliter inuiritorem libidinis ſcimus.*

Tertull. lib.
 4. de Cultu
 Femiu. c. 2.

Tertull. lib.
 2. de Cultu
 Femiu. c. 1.

Scandali rea ſunt mulieres, quæ facis vultum adul-
 terant, aut capillos tingunt. Diſplicet illis platiſtica
 Dei: in ipſis ſe nimirum arguunt & reprehendunt
 Artiſticem omnium. Reprehendunt enim eum emendant,
 cum adſciunt, utique ab aduerſario artiſtice ſuuentes
 adſtitimenta. Is eſt diabolus. Quod naſcitur, opus

FER. V. POST DOM V. QUAD. 327
 Dei eſt. Ergo quod inſingitur, diaboli negotium eſt
 &c.

Scandali rea ſunt mulieres, quæ collum, pectus,
 brachiave nudant, & ita compoſita procedunt in pu-
 20 plicum. *Scriptura, natura, diſciplina*, illas velari ju-
 21 bent. Oro te, ſive mater, ſive foror, ſive filia virgo,
 22 vela caput. Si mater, propter filios: ſi foror propter
 23 fratres: ſi filia, propter patres. Omnes in te ætates
 24 periclitantur: indue amaturam pudicitia, circumduc
 25 vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtruce, qui nec
 26 tuos emittat oculos, nec admitat alienos. Ju-
 27 dicabunt vos femina Ethnicæ, quæ non caput, ſed faci-
 28 em quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato
 29 contentæ ſint dimidiam frui lucem, quam totam faci-
 30 em proſtituere. Vide Lib. 4. *Theolog. Dogmat. &*
 31 *Moral. Cap. 7. Art. 5. Regulis 6. 7. 8. 9. 10.*

ecdem Lib.
 de Virgini-
 bus velan-
 cedis.

ce
 ce
 ce
 ce
 ce
 ce

II. Mulieres, quæ voluptati ſerviunt vitâ molli,
 otioſa, & omnibus oblectamentis, quæ, ſecundum ſæ-
 culi mores, honeſta vancur, abundante, peccatri-
 ces ſunt. Scipias enim immodicè amant. Amor autem
 proprius omnium fons eſt & radix peccatorum. Qui ſe
 perverſe amant, ad caeleſtem Jeruſalem non pertinent,
 ſed ad Babylonem. *Fecerunt enim civitates duas amo-
 res duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contem-
 ptum Dei, caeleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum*
 ſui. Amor ſui, vitæque mollis & voluptaria, reproba-
 tionis caractèr eſt. *In noſiſſimis diebus erunt homi-
 nes ſe ipſos amantes. . . . Voluptatum amatores magis*
 quam Dei. Qui in deliciis vivunt, peccatores ſunt.
Quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt (ait Apollolus de
 Vidua Chriſtiana) Nemo Chriſtianè vivit, niſi *Qui*
abneget ſemetipſum, & tollit Crucem ſuam quotidie,
 & Chriſtum ſequitur. Qui per actam viam non am-
 bulat, ad vitam non pervenit. *Tota vita Chriſtiani*
perpetua penitentia eſſe debet. Qui ergo vitam mol-
 lem & voluptariam ducunt, peccatores ſunt. Mun-

S. Auguſt.
 Lib. 4. de
 Civ. Dei
 Cap. 12.

1. Tim. 1.

Cuncil. Tri-
 dent.

Tertull. 22 *aus gaudebit*, dicit Dominus: Vos autem contristabi-
 Di Jsaï. 23 mini. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut cum
 C. 2. 24 lugere cœperint, gaudeamus; ne pariter nunc gau-
 25 dentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es,
 26 Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis;
 27 immò nimium stultus, si hoc existimas voluptatem.
 Christiani caracter est *Vivere sine voluptate, mori*
eum voluptate. Nam quod est aliud votum nostrum,
 quàm quod & Apostoli, exire de hoc seculo, & recipi
 apud Dominum? *Hic voluptas, ubi & vorum.*

FERIA VI. POST DOMINICAM V.
 QUADRAGESIMÆ.

*Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit
 multum.* Luc. vij.

M Agdalenam exemplum pœnitentiæ fecit amor
 sanctus, quam peccatricem fecerat amor profanus,
 ut ubi abundaverat delictum, superabundaret &
 gratia. 1. Amor pœnitens cor ejus dolore contrivit,
 humiliavit, Deo consecravit. 2. Amor pœnitens lacry-
 marum fontes ad expianda peccata ex ejus oculis manare
 fecit. 3. Amor pœnitens illam ad officia pietatis Chris-
 to exhibenda impulit.

I. Amor Dei necessarius ad veniam peccatorum ob-
 tinendam, & ad justificationem peccatoris. *Conver-
 mini ad me in toto corde vestro.* An verò ex toto corde
 ad Deum convertitur, qui illum non amat? *Qui di-
 ligit me, diligetur à Patre meo.* Nemo justificatur ni-
 si à Deo diligatur; nemo diligit à Deo, qui Deum
 non diligit. *Si quis non amat Dominum Jesum, ana-
 thema sit* (ait S. Paulus) *Qui non diligit, manet in*
 morte (inquit S. Joannes) An iustus quis censeri &
 esse potest, qui coram Domino est anathema, & in

Psal. 1.

Joan. 14.

1 Cor. ult.

1 Joan. 7.

morte peccati manet? Denique de peccatrice Christus
 Dominus pronuntiat: *Dimissa sunt ei peccata multa,*
quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur,
minus diligit. Dilectionem esse mensuram remissionis
 peccatorum significat, ita ut illi minus remittatur, qui
 minus diligit; illi multa condonentur, qui multum
 diligit: consequenter nihil illi remittatur, qui non dili-
 git. Solus timor servilis ad justificationem peccatoris
 non sufficit. *Abfolvi vis? Ama.* Caritas cooperiet
 multitudinem peccatorum. Ama ergo homo Deum, &
 ama totus, ut possis omnia sine labore vincere pecca-
 ta. Est qui confitetur Domino, quoniam potens est.
 Est qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est; &
 item qui confitetur illi, quoniam simpliciter bonus est:
 Primus servus est, & timet sibi. Secundus mercenarius
 est, & cupit sibi. Tertius filius est, & deserit Patri.
 Itaque & qui timet, & cupit, utriusque pro se agunt:
 sola que in filio est caritas non querit que sua sunt. De
 qua dictum est: *Lex Domini immaculata, convertens*
animas: Quòd sola videlicet sit, que ab amore sui &
 mundi avertere possit animam, & in Deum dirigere.
 Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt ani-
 mam: mutant interdum vultum vel actum, affectum
 nunquam. . . . Sit itaque servo sua lex timor ipse quo
 constringitur: sit mercenario sua cupiditas, qua & ipse
 arctatur, quando ab ipsa tentatur abstractus & illectus:
 sed harum nulla aut sine macula est, aut animas converte-
 re potest. Caritas verò convertit animas, quas facit & vo-
 luntarias. Vide Lib. 2. Theolog. Dogm. & Moral.
 Tract. de Pœnitentia, Cap. 3. Art. 3. Propositione 7.

Amor Dei cor peccatricis mulieris occupans pœni-
 tentem fecit. Cor ejus dolore contrivit, humiliavit sub
 manu Dei: *Cor contritum & humiliatum.* Victimam
 fecit, holocaustum. Deo acceptum. *Sacrificium Deo*
spiritus contribulatus. Amor ejus promptus fuit ac ge-
 nerosus. *Ut cognovit quòd accubisset in domo Phari-*

cc S. Petrus
 et Chrysol.
 Sermon. 94.

cc S. Bernard.
 et Tract. de
 Diligendo
 et Deo, C. 12.

cc

cc

cc Psal. 127.

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

fai, attulit alabastrum unguenti. Ut cognovit Dei magnitudinem ac infinitam bonitatem; Ut cognovit peccati sui gravitatem & horrorem; statim propravit ad Jesum, ut illi cor sanandum offerret. Fortis ut mors dilectio speravit illam ab amore sui ac mundi. A divino amore domita & subacta, prosternitur ad pedes Victoris. *Stans retro secus pedes ejus.* Amor ejus generosus est: hominum judicia, Pharisei contemptum & insultum non veretur. convivii tempus non refugit, irruit importuna convivio, opportuna beneficio, *Quærit pia impudentiâ sanitatem.* De penitentia non erubescit, quæ de solis peccatis præteritis se erubescere debere novit. Quam pauci peccatores hanc mulierem imitantur! peccare non erubescunt, penitere erubescunt. Hoc opus ut publicationem sui aut suffugiunt, aut de die in diem differunt, *Pudoris magis memores, quam salutis.* Amor Dei penitentem humiliet, ad Christi pedes prostratum semper teneat; osculo manum, multo minus oris Domini se indignum existimet. Non tibi,

 20 *ô quæcumque es talis anima,* non tibi ille locus vilis

 21 aut despicibilis videatur, ubi sancta Peccatrix peccata

 22 deposuit, induit sanctitatem. Ibi Æthiopiâ mutavit

 23 pellem, & in novum restituta candorem; jam tunc fiducialiter veraciterque respondebat exprobrantibus sibi

 24 verbum: *Nigra sum, sed formosa, filia Jerusalem.*

 25 Hujus ergo beate Penitentis exemplo, prosternere & tu

 26 tu, ô misera, ut desinas esse misera; prosternere & tu

 27 in terram, amplectere pedes, placare oculos, riga lacrymis, quibus tamen non illum laves, sed te, & has

 28 una de grege consecratur, quæ ascendunt de lavacro: ita sanè ut suffusum pudore ac mœrore vultum non ante

 29 suffollere audeas, quam audias & ipsa: *Dimittantur*

 30 *tibi peccata tua:* quam audias, *Consurge, consurge*

 31 *captiva filia Sion, excutere de pulvere.* Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum penitentis verecundia placet. Citius placas cum, si menturam tuam

Tertull.
Lib. de
Pœnit.

S. Bernard.²⁰
Serm. 1.
in Cantic.

Isai 7.

servaveris, & altiora te ne quæseris. Longus salus & arduus est de pede ad os, sed nec accessus conveniens. Quid enim, recentij adhuc reperlus pulvere, ora sacra contingens per manum tibi transiis sit. Illa prius te tergat, illa te erigat. Quomodo erigat? Dando unde præsumas. Quid istud? Decor continentie, & digni penitentie fructus, quæ sunt opera pietatis. Hæc te de stercore erigent in spem audendi potiora. Sanè accipiendo donum, osculate manum; hoc est, non tibi, sed nomini ejus da gloriam. Da semel, & da iterum, tum pro donatis criminibus, tum pro collatis virtutibus.

II. Lacrymæ Penitentiae comites. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. . . . Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quid magis fletu debet quam Dei jactura? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes dæi ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, *Ubi est Deus tuus?* Quid amarior fletu debet quam mors animæ pro peccato? *Homo se decipit, si cum in medullis suis fervere sentiat morbum, per superficiem corporis molle deducat unguentum.* Hæc itaque principalia mala ingenti rugia, & gemitu, & fonte indigent lacrymarum. Per lacrymas clamandum est cum Propheta: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Oportet sicut super mortuum conclamatum, ita magno super extintam animam dare planctus. Et quomodo solet mater orbata super amissione unici filij sui fracto pectore lamentari: ita convenit super unicum suam, sed cum spe reparationis affligi. Necessè super hanc unicum criminum mucrone confossum totum pondus doloris effundè, si fortè possit lacrymarum vivificata fontibus calore fidei suscitari. Pro mensura peccatorum debet esse modus lacrymarum. Quam magna deliquimus, tam granditer desiccamus. Alio vulnere diligens & longa medicina non desit, penitentia crimine minor non sit.

Lacrymæ fluete debent non solum torrentis instar,

Psal. ut.

Psal. 6. 6.

S. Cæsarius
Arel. Hom. 1.

Psal. 17. 9.

S. Cæsarius
Arel. Hom. 1.

S. Cyprianus,
Tract. De
Lapsu.

quoad ubertatem & copiam, sed instar fontis, quoad originem & durationem. Ex corde enim vulnerato & contrito fluere debent; ab amore penitente elici, ob Deum summè bonum à vili creatura offensum. *Deduc quasi torrentem lacrymas, & non taceat pupilla oculi tui Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum?* Fontium instar manare debent & fluere toto vitæ tempore. *Quia enim homo peccando pœnam æternam meruit, & contra æternum Dei peccavit, debet pœna æterna in temporalem mutata, (saltem dolor) in æterno hominis, id est, in statu vitæ hujus manere.* Magdalena peccati maculas lacrymis absterxit; oculorum, omniumque sensuum peccata lacrymis expiavit, concupiscentiæ & amoris profani flammam lacrymis extinxit. *Lacrymis rigabat pedes ejus.* Vim baptismatis habuerunt ejus lacrymarum. *Est baptismus lacrymarum, verum a superior & laboriosior.* Hoc baptismate peccatrix abluta, super nivem dealbata est. In baptismate fit exorcismus, & demon expellitur à catechumeno: Christus septem dæmonia, id est, univèrsitatem vitiorum ex anima peccatricis expulit. In baptismate vitiorum abrenuntiationes: peccatrix satanæ, mundo, & pompis ejus solemnè ritu abrenuntiat ad pedes Christi Jesu. In baptismate fiunt unctioes: Magdalena Christi pedes exterius ungit, & ab illo interiùs ungitur Spiritu Sancto. In baptismate aqua effunditur: Magdalena lacrymas uberes effundit. Ad aquæ elementum accedit verbum, & fit Sacramentum. Ad lacrymas penitentis accedunt verba Christi peccata dimittentis. *Remittuntur tibi peccata Christi pedes sibi sacrarium & altare conscriuit: in quibus libavit fetu, litavit unguento, sacrificavit affectu.* Sacrificium enim Deo spiritus contribulatum. *Quem illa immolans Deo, non solum remissionem delictorum, sed & gloriam predicandi cum Evangelio nominis meruit. Et quia vocanda ex Gentibus Ecclesie imaginem præferebat, omnia in semetipsa Mysterii sa-*

Thom. 2. 11.

Jerem. 9. 1.

S. Thomas in 4. Sentent. Quest. 7. Art. 4.

S. Greg. Nazian. Orat. 39.

S. Paulinus Episc. 4. ad Severum.

lutaris insignia gessit. *Unctæ est chrismate sui maneris: penitentia lacrymas habuit in lavacrum, viscera caritatis in sacrificium: & ipsum vitium, vivificantemque Panem manibus & ore præsumpsit: Sanguinem quoque calicis, antequam calix fieret, osculis surgentibus prelibavit. Beata que Christum in carne gustavit, & in ipso corpore Christi Corpus accepit.*

III. Amor penitens peccatorem conversum & justificatum ad bona opera & ad officia pietatis inclinat. Sic Dei justitiæ fit satis: sic natum ex peccato scandalum tollitur: sic amor ipse in Deum probatur: sic vita nova demonstratur. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Sic Magdalena penitens Christum omnibus pietatis officiis persecuta est. *Lacrymis rigabat pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat:* Ut totum Deo serviret in penitentia; quicquid ex se Deum contemperat in culpa. Habeant Christianæ mulieres capillos, quibus instar Evangelicæ peccatrici vestigia Christi tergant, & Sapientiæ pedibus implentur: ut aliud nisi sapientiam amare, nisi virtutem amplecti, nisi pudicitiam osculari nesciant; & ut extremo saltem rore verbi celestis aspergiant: Ros qui abs te est, sanitas est nobis. Sint mulieribus Christianis comæ spiritalium acta vitium, jejunia, misericordiæ, orationes. Ornet eas Christi gratia, non capilli; castitatis gemma, non lapidis; & operum in his, non odorem fragret unguentum. Eo dote domum impleant, id est, Ecclesiam; ut cum Apostolo dicere possint: *Christi bonus odor sumus. Unguentum in pedes Christi, id est, in pauperes effundamus.*

Vides hanc mulierem? Spirabimus bonum Christi odorem Deo, si mortem Christi in corpore nostro circumferentes, & vitam in spiritu manifestantes, &

Rom. 6. 19.

S. Paulin.

passionis dominicæ, & resurrectionis odore flagremus.
 Mittemus autem unguentum in corpus Christi, si
 substantiam vitamque nostram in fide veritatis ejus, &
 præcepti obedientiâ consecramus. Tunc in ejus corpore
 repletentia totam domum unguenta fragrimus, si cari-
 tate perfecta possumus dicere: *Mibi mundus cruci-
 fixus est, non amanti divitias, non honorem sæculi,
 non amanti quæ propria sunt, sed quæ sunt Christi;
 non amanti quæ videntur, sed quæ non videntur. Hæc
 nobis etunt in virtutem & ministerium sanctum comæ,
 quibus & pedes Christi detergamus, & funes peccato-
 rum rumpere possumus, & in spiritu libertatis gratu-
 lantes dicere: Dirupisti vinetia mea, tibi sacrificabo
 hostiam laudis.* Sed dum currendi spatium, dum ser-
 viendi tempus est, pascamus hujusmodi comam: &
 imitemur non solum dilectionem illius Evangelicæ Pec-
 catricis, ut amore magno magna debita diluamus: sed
 & importunitatem ejusdem, ut præcipiamus iræ immi-
 nenti salutem. Quocumque vel in domum in-
 digni, vel in domum Pharisæi audiam justum venisse,
 contendam præcipere hospitii gratiam, præcipere si
 possum regnum cælorum. Ubicumque mihi resonave-
 rit Christi nomen, accurram; ad cuiuscumque interio-
 rem domum Jesum intrare cognovero, & ipse prope-
 rabo. Expandamus illi capillos, id est, omnes no-
 strorum insignium dignitates ante ipsum sternamus;
 & deiciamur à nobismetipsis ut exaltemur ab illo qui
 in altis habitat, & humilia respicit. Lacrymis delicta
 nostra fateamur, ut de nobis quoque dicat divina justitia:
*Lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis
 terxit. Non mediocris Anima illa meriti est, de qua
 potest dicere Sapientia: Ex quo intravit, non cessavit
 osculari pedes meos.* Quid est hoc osculum, nisi pignus
 æternum illius caritatis, quæ operit multitudinem pec-
 catorum? Hæc oscula Sponsus suo jam tunc parabat Ec-
 clesia, quando cantabat: *Osculetur me osculo oris sui.*

Psal. 115.

Cant. 1.

Quod privilegium sola sibi catholica dilectio jure ven-
 dicat, quæ unica atque perfecta uni viro, ab ipsius ore
 Verbi petit oscula veritatis, ne fraudis hæreticæ vengo,
 aut incestus oris alieni oculis polluitur. Pedibus ergo
 Christi oscula casta figamus, ut mereamur à pedibus in
 caput surgere; & in superiora corporis membra cres-
 centes, jam de proximo vultus audeamus & ipsius oris
 oscula postulare. Et cum Dei Verbum puro corde liban-
 tes gustaverimus quomodo suavis est Dominus, tunc ani-
 ma nostra totis in amore Sapientiam visceribus accensa,
 dulci refrigeretur ardore, & confixa ignitis dominicæ
 caritatis sagittis, quibus omnis alia inimicarum dele-
 ctationum dilectio interficitur, dicat in corde compun-
 cto: *Vulnerata caritate ego sum.*

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

*Dicite filia Sion: Ecce Rex tuus venit tibi man-
 suetus.* Matth. 21.

Quamvis Christus Jesus in terris degens nullam
 Regiæ Dignitatis insigne habere voluerit: quamvis
 in humiliatione & inopia vixerit: quamvis tribu-
 tum Cæsari solvendo, subjectionem & obedientiam sit
 professus: quamvis in montem fugerit cognoscens ven-
 turas turbas numerosissimas, quæ illum raperent & fa-
 cere Regem: quamvis Regnum suum non esse de hoc
 mundo significaverit, hodie tamen Jerusalem ingreditur
 ut Rex & Deus Israël, omniumque hominum &
 Angelorum. *Ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in
 sancto.*

Christus Rex justitiæ & pacis. . . Christi Regnum
 in terra inchoatur, in cælo perficitur. . . Nostra erga
 Christum Regem officia. (*Lib. 1. Quest. 2. Art. 3.
 n: 3.*) Quis illius petitionis sensus in Oratione Domini-

cā, Adveniat Regnum tuum? Multiplex Regni Dei significatio. . . Petimus ut regnum gratiæ & perseverantiæ in ea nobis adveniat. . . Desiderium nostrum ad æternam gloriam & Dei fruitionem excitamus. . . Oramus ut non solum nobis, sed omnibus hominibus regnum gratiæ & gloriæ Dei adveniat. (Lib. 5. Cap. 2. Art. 5.)

I. Christus omnia erga nos implet optimi Regis officia. 2. Nullum erga Christum Regem implemus subditorum officium. *Regis signum notamque penes beneficentiam constituimus, (ait Synesius.) Quis Christo beneficentior? Totus mihi datus, totus meos expensus in usus, (inquit S. Bernardus.) pertransit beneficendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Quid fuit Domino Regem esse Israël? Quid magnum fuit Regi seculorum Regem fieri hominum? Non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibilibus debellandos: Sed Rex Israël quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum calorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Quod igitur Rex esse voluit Israël, dignatio est, non promotio; miserationis indicium est, non potestatis augmentum. Qui enim appellatus est in terra Rex Judæorum, in cælis est Dominus Angelorum. Regis munus est optimas leges ferre, non duras & difficiles; populum non gravare, sed levare, subditorum felicitatem procurare, hostes illorum vincere, ut sub vite & sicu sua securi vivant. Christus Jesus leges sanctissimas tulit. *Lex Domini immaculata, convertens animas. Mandata ejus gravia non sunt. . . Venite, inquit, ad me, omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos. . . Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Hostes nostros vicit: Confidite, inquit, ego vici mundum. . . Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Bonis immensis nos cumulat. De**

Synesius lib.
Regna.

Ag. 10. 31.

Matth. 23. 12.

Joan. 16. 33.

Joan. 12. 31.

*plenitudine ejus omnes accepimus. Pacem, & vitam æternam subditis obedientibus tribuit: Ego, inquit, vitam æternam do eis. Morte sua nos à dæmonis servitute liberat, vincula peccatorum nostrorum solvit, quod per solutionem alicujus & pulli significatur. Subditos cum divina mansuetudine regit, nihil aliud ab illis, quam amari postulat. Ama, (inquit S. Augustinus) & fac quod vis. Personam cujusquam non accipit, omnibus equalis, omnibus Rex; (inquit Tertullianus.) Agnus vocari amat; super ipsum Spiritus Sanctus in columbe specie requiescit; peccatores recipit ad penitentiam; cælestem artem supplicantiibus hostibus indulgendi, Reges sæculi docet; de qua Ennodius: *Perfecti seculorum Reges & Domini supplicantiibus indulgere cælesti arte didicerunt. Super civitatem Jerusalem flevit misericordiæ motus: & super animas nostras, eò quod non cognoscerent tempus visitationis suæ. Videntes & ementes è Templo eiecit, non armis terribilibus & mortem inferentibus, sed quasi flagello de funiculis facto. Castigat illos ut filios pater, ut Rex subditos. Flagellat omnem filium quem recipit. Moyses vir mitissimus ita sibi totius plebis Israëliticæ mentes devinxerat, ut plus cum pro mansuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur. Longè major Christi Regis mansuetudo. Dicite sibi Zion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.**

I. Nullum subditorum officium erga Christum Regem nostrum rectè implemus. Subditi debent Regi honorem; *Regem honorificate. Obedientiam: Subditi estote Regi quasi precellenti. Tributum: Ideo enim & tributa præstatis. Expendite an Christum, ut par est, honoretis; an ipsum opere & veritate diligatis. Honor enim sine amore, non honor est, sed adulatio (ait S. Bernardus) Nonne magis diligitis mundum, divitias, honores, voluptates, quam Christum Regem? Immod, quod dictu horrendum est, diabolum magis amatis, quem Christo præponitis, cui servire potius eligitis.*

Joan. 1. 16.

Joan. 10. 12.

Hebr. 12. 6.

1. Petri 2. 17.

Rom. 13. 6.

338 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.

Lib. de Pa-
nitentia.

Diabolum Domino preponit, (inquit Tertullianus.) Comparationem enim videtur egisse qui utrumque cognoverit, & iudicatio pronunciasse eum esse meliorem, cuius se esse maluerit. Quis Christum amat? quis de illo cogitat? quis de illo honorificè loquitur? quis zelo pro illius gloria flagrat? quis illum dolet offendi? quis legem ejus observat? Heu! In cuncto populo Christiano genus quodammodo sanctitatis est minus esse vitiosum.

Salvian. ad
Euseb. Cathol.

An denique tributa Christo Regi redditis? Tributa sunt elemosynæ, quas in ejus ararium, id est, in manus pauperum inferre debetis. *Manus pauperum, gazophylacium Christi.* Elemosynæ erogatio officium est divitis, debitum est. *Honora Dominum de tua substantia. . . Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum.* Vestimenta vestra Christo in via sternite, Christo in gloria quidem sua triumphanti, sed in membris suis indigenti. Expoliare veterem hominem cum actibus suis, luxum resecare ad pauperes alendos & vestiendos. Ramos arborum cædite & sternite in via, luxuriantibus cupiditatibus ramos detrahite, superflua in Christi honorem impendite. Quod in luxum, in spectacula, in ludos, in convivia impenderetis, pauperibus erogate. *Superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria sunt.* Nihil superfluum videbitur cupiditati, sed multa erunt superflua caritati. Quicquid vitæ sustentationi, & status conservationi ac decoro necessarium non est, superfluum est. Porro status decorum non secundum ambitionis desideria, non secundum mundi regulas, sed secundum Evangelium Christi & Christianæ vitæ professionem mensurandum est. Reditus vestros augere vultis? elemosynas simul augete. Tributa realia sunt, Christi lege bonis vestris imposta. *Reddite que sunt Dei Deo.* Eamus obviam Christo victori, palmas in manibus ferentes; quæ ut nobis conveniant, fortiter adversus peccatum & diabolum pugnemus, victores simus, ut in eorum felicem societatem

S. Petrus
Chrysol.
Proverb. 3.
Eccl. 4.

S. August.

DOM. IN RAMIS PALMARUM. 339

cooptemur qui stant ante thronum Agni amici stolis albis, & palme in manibus eorum. Laudemus Christum Regem, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis.* Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam: quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Victoriæ ipsius gratulemur, & gratias immortales agamus Regi qui nobis vicit. Verum non solum triumphantem sequi oportet, sed patientem & morientem, quia passione ac morte triumphat, & hodiernus triumphus apparatus ad mortem crucis tendit. Generosum illum Davidis Regis Aulicum imitemur, qui Dominum suum secutus, cum Absalomum fugeret, nudis pedibus, lugens, opero capite Hierosolymis egressus, & cum suis ascendens montem olivarum. Aulicus ille, qui nomen Ethai, à Rege monitus ut in domum reverteretur, Dominum suum in summa calamitate deserere noluit. *Vivit Dominus meus* (inquit) *& vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.*

Apost. 7.

S. August.
Tract. 51.
in Joan.

Reg. 11. 11

FERIA II. POST DOMINICAM
PALMARUM.

Fur erat, & oculos habens, ea quæ missebantur, portabat. Joan. xij. 6.

Cum Judam Iscariotem nominamus, Christi Domini proditorem, nemo est qui illum non execretur: & tamen multi sunt inter Christianos illi similes, avari, fures, sacrilegi, murmuratores, hypocritæ, proditores Christi, ejus legem ac gloriam, caritatem, justitiam, religionem, salutemque suam, cupiditati suæ postponentes. Qui vitam honestam & Christianam

340 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.
in saeculo agere videntur, à rapina quidem & publicis
latrocinii abstinent, sed innumeri sunt qui furtis gra-
uare non metuunt conscientiam, ut rei familiaris au-
geant substantiam; & tam graui crimine obstricti, ad
Communione Paschalem accedere non verentur, ut
Judas. *Fur erat, & loculos habens, &c.*

I. Tales sunt imprimis usurarii. Rei porro sunt usu-
ræ quicumque ex mutuo aliquid ultra sortem exigunt
aut percipiunt, siue pecuniam siue quidvis aliud. Usa-
ra omnis, & erga omnes, siue diuites, siue pauperes
prohibita diuina lege. Quicumque ergo dant mutuum
ad certum tempus, promissum solvendi usuras sub pri-
uata syngrapha exigentes, aut accipientes quouis no-
mine, etiam commercii, usurarii sunt. Quicumque
ratione solius periculi quod ex mutuo consequitur, ali-
quid ultra sortem exigunt, rei sunt usuræ, si nullus al-
lius titulus damni emergentis, aut lucri cessantis inter-
cedat. Usura est rem aliquam ob dilatam solutionem
cariùs vendere iusto pretio: vel minoris emere ob anti-
cipatam solutionem. . . Tutores & curatores ex pecu-
niis pupillorum mutuo datis exigere aut percipere non
possunt aliquid ultra sortem, eo solum nomine quod
pupillorum sint; & quod pupillorum interest, refarci-
re atque compensare tutores ipsi secundum leges tenean-
tur, nisi huiusmodi pecunias in illorum utilitatem
collocauerint. Contra istas, ab aliisque species usurarum,
prout opus fuerit ad animarum salutem, Sermonem ha-
bet Concinator, in civitatibus & locis populosis,
ubi commercium viget, & huiusmodi corruptela &
malæ artes dominantur. *Improbum fanoris inuentum
qui latrocinium & parricidium nominaverit, non pro-
cul à vero aberraverit. Quid enim refert an elanculum
per fossis muris pradonis more aliena habeas, & pre-
teritis cade te eorum qua habeat Dominum consitinas,
an fanoris necessitate acquiras ea qua ad te non perti-
nent? O malum vocabulum, fanus sit nomen latrocinii,*

S. Greg. Niss.
Hom. 4. in
Ecclesiast. S.
Ambros. Lib.
de Tobia, c. 10.
& vero passim
libro legend.
S. Leo, Serm.
8. de j. junio
decima mensis.

FER. II. POST DOM. PALMARUM. 341
(inquit S. Gregorius Nyssenus.) *Nihil interest inter fanus
& fanus, nihil inter mortem distat & sortem, (ait
S. Ambrosius.) Multiplicatur quidem facultas injustis
& tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit:
quoniam fanus pecunie, fanus est anima, (ait
S. Leo.)*

Inanes certè Usurarium excusationes, qui mutuum
cum honesta, ut vocant, ad sortem accessione, inter
homines diuites & negotiatores exerceri solitum, Rei-
publicæ commodum, proximo utile esse aiunt, iis
qui mutuum accipiunt, dari opportunitatem rem suam
familiariter amplificandi. Negotiatoribus adminicu-
lum præberi ad continuandum augendumque commer-
cium, quo Regna & Respublicæ maximè efflorescunt.
Inanis, inquam, illa excusatio est. Non enim ad uti-
litates nostras, commodaque temporalia Lex Dei in-
flectenda est, sed secundum illam iudicandum an ius-
tum sit, quod nobis utile commodumque videtur. Pro-
hibet Deus ex mutuo amplius accipere quàm datum sit,
*Usuram & superabundantiam accipere: jubet Chris-
tus ut mutuum gratis detur, Mutuum dare nihil inde
sperantes, nullam pauperum ac diuitum exceptionem
facit, nullam mutui caritatis, & mutui negotiationis
distinctionem. Sileat, Deo iubente, cupiditas. Quid
revolvis? Deus precipit. Ad exhibitionem obsequii
prior est majestas divina potestatis: prior est auctoritas
imperantis, quàm utilitas servientis. Facitandum au-
gendoque commercio querantur ac præbeantur admi-
nicula, sed non per malas artes, per cupiditatem,
fraudes, mendacia, usuras, quæ negotiationem pol-
luunt, negotiatores Deo exosos faciunt. Accedit, quod
usura Reipublicæ etiam pernicioza est, cum æqualita-
tem dati & accepti non servet, violèteque iustitiam;
cum necesse sit creditores crescere, debitores minui;
o mniùmque facultates tractu temporis à feneratoribus
exhauriantur. Usura creditori & debitori exitialis est.*

Ezechiel. 18.
Luc. 6.

Tertull. Lib.
de Patient. c. 4.

342 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.

Nam debitor quidem inopiā atteritur: creditor autem
 auctens divitias, & peccatorum accumulat sibi multi-
 tudinem. Proinde ab initio olim Judæis crassioribus &
 ruidioribus hoc præceptum Deus dedit: Non fœnerabis
 fratri ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet
 aliam rem. Quæ igitur exultatione digni erunt, qui Ju-
 dæis sunt inhumaniores, & post gratiam & tantam
 à Domino misericordiam, inveniantur iis, qui sub Lege
 fuerunt, inferioris, immo pejores? Mare fœnerator est:
 omnium patrimonium tamquam fluctus absorbet, & ipse
 nescit expleri. Mari tamen plerique utuntur ad ques-
 tum: fœneratore nemo utitur nisi ad dispendium: Il-
 lic multorum commodum est, hic universorum naufragium.

Nec verò promissiones obligatorias ad solvendum
 lucrum supra capitale, mutuūque usurarium, & fœ-
 neratitios contractus excusat consuetudo, quod nempe
 ita fiat in aliquibus civitatibus, provinciis, regionibus.
 Nulla enim consuetudo divinæ legi derogare, aut ejus
 transgressores excusare potest. Christus Jesus, quem
 audire debemus, & sequi ut legislatorem, magistrum,
 redemptorem ac Dominum nostrum, non dixit, Ego
 sum consuetudo; sed, *Ego sum via, veritas, & vita.*
 Non ex hominum opinionibus, non ex moribus &
 consuetudinibus sæculi, sed ex Dei verbo judicabimur.
Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.
 Adversus legem Dei nulla consuetudo præscribere
 potest. De civitatibus igitur & provinciis, in quibus
 consuetudo contractibus usuraria pravitate infectis, mu-
 tuoque fœneratitio, & schedulis atque promissionibus
 obligatoriis, quibus aliquid ultra sortem exigitur, aucto-
 ritatem dedit, jure merito dici potest: *Vidi iniquitatem
 & contradictionem in civitate: Die ac nocte circumda-
 bit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio
 ejus, & injustitia: Et non defecit de plateis ejus usura
 & dolus.* Ad quem locum S. Augustinus: *Usura*

S. Chrysost.
 Hom. 41. in
 Genes.

Deuteronom. 23.

S. Ambros.
 Lib. de Tobia,
 Cap. 5.

Joan. 12. 48.

Psal. 14.

FER. II. POST DOM. PALMARUM. 343

& dolus, inquit, non absconduntur saltem, quia mala
 sunt, sed publice seciunt. Etenim qui in domo aliquid
 mali facit, vel de malo suo erubescit. In plateis ejus
 usura & dolus. Fœnus & professionem habet, fœnus
 & ars vocatur: corpus dicitur, corpus quasi necessa-
 rium civitati, & de professione sua vestigal impendit:
 usque adeo in plateis est, quod saltem abscondendum
 erat. Cum genitibus & lacrymis exclamare cogimur:
*Consensere jura peccatis, & caput licitum esse, quod
 publicum est.* Vide Theolog. Dogmat. & Moral. Lib.
 3. Tract. De Peccatis Cap. 211. ubi de Usura fusè dis-
 scitur, & uberrimum contra hoc immane vitium di-
 cendi argumentum Concionatoribus subministratur.

II. *Fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur
 portabat.* Furti rei sunt mercatores, qui rem pluries ju-
 sto pretio vendunt, aut minoris justo emunt. Emptio-
 nes & venditiones citra dimidium justæ præcii, manife-
 stè fraudulentæ sunt & injustæ. Furti rei sunt, qui ven-
 dunt rem aliquam, vel in substantia, vel in quantitate
 seu mensura, vel in qualitate notabiliter deficientem.
*Ne quis supergradiatur, neque circumveniat in nego-
 tio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus.* Leges
 quidem humanæ ad restitutionem non cogunt, nisi
 emptor sit deceptus ultra dimidium justæ præcii quanti-
 tatem: sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod
 sit justitiæ contrarium. Unde si in emptione & vendi-
 tione non sit æqualitas justitiæ observata, teneat ille
 qui justo plus vendidit, vel justo minus emit, compen-
 sare damnum ei qui passus est, secundum legem natu-
 ralem & Evangelicam: *Omnis quæcumque vultis ut
 faciant vobis homines, & vos facite illis.* Vide Lib. 3.
 Theolog. Dogmat. & Moral. Tract. De Peccatis,
 Cap. 6. Art. 5. Regulis 1. 4. 9. Periculosa Christianis
 negotiatio, si cupiditati obsequantur, malorum om-
 nium radici. *Sicut in medio campaginis lapidum palus
 figitur: sic & inter medium venditionis & emptiõis*

S. August.
 Enarr. 21. in
 Psal. 24.

S. Cyprian.
 Epist. 11.

1. Thess. 4. 6.

S. Thomas.
 Secunda secundæ
 2æ.

Matth. 7.

Eccli. 17.

Ezechiel. 27.

angustabitur peccatum. Hinc Deus Tyrionum peccata maxima ex parte prodidisse ex negotiatione significat. In multitudi- ne negotiationis tua repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & ejeci te. Et rursum: Iniquitate negotiationis tuae polluisti sanctificationem tuam. S. Augustinus explicans hunc Versum Psalmi Lxx. Quoniam non cognovi litteraturam, sive (ut ipse legit) negotiationes, introibo in potentias Domini. Audiant, inquit, negotiatores, & mutant vitam. Fratres tamen, mendacia, perjurya, vitia non sunt negotiationis, quæ per se bona est, sed negotiatorum, & fructus cupiditatis. Unde S. Leo ait: Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est honestus questus & turpis. Verumtamen Penitentii utilis est dispensatio pati: quam periculum negotiationis obstringit: quia difficile est inter eminentis vendentis quo commercium non intervenire peccatum.

III. Fur erat, & leculos habens, ea qua mitebantur, portabat. Furti & rapinæ rei sunt, qui creditores suos fraudant; qui debita non solvunt, cum possint; qui prodigalitate, luxu, comestationibus, ludis, facultates suas decoquunt, ex quibus dispungere possent alienum, quo sunt obstricti; qui denique gravia in dies debita contrahunt, cum sciant se non esse solvendo. Mutabitur peccator, & non solvet. Rem alienam invito Domino retinere, nemo furtum esse negaverit. Bona porro creditorum hujusmodi homines retinent ipsi invidis. Contra illos S. Ambrosius: Quam deformis est, inquit, ut pro beneficio ei qui te adjuvit, rependes molestiam! Debere, verendum est; non redde- re, inverendum. Postulabis dilationem, cum cape- ris conveniri in tempore præscripta solutionis, pro pecunia afferes iacta: causaberis de tempore, excusationes frues; & cum totum promiseris, ne in universum fraudare videaris, vix dimidium restitues. De amico ini- micum facies, pro honore referes contumeliam, pro be-

S. Leo Epist.
7. ad d. 82.
ad Mallianum.
Epistol. 11.

T. 1. 16.

S. Ambros.
Lib. de Tobia
Cap. 21.

FER. II. POST DOM. PALMARUM. 345
neditione maledictum. Quam hæc opinionem ledant, considera: quam à viro bono discrepent, recognosce... Reddite ergo omnibus debita. Nemini debeatis, nisi Rom. 12.
ut invicem diligatis.

IV. Nemo qui rem alienam acceperit aut retinet in- vitis Dominis; nemo furti supradictis, aliisve modis reus; nemo qui grave damnum alteri intulit, ab- solvendus est, & ad factam Mensam admittendus, nisi restituerit quod injustè accepit ac retinet; si tamen restituere potest. Nam sine restitutione nulla hujusmodi hominibus spes salutis esse potest. Si dixero impio, inquit Deus, Morte morieris, & egerit penitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & justitiam, & pignus restitueris ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injus- tum: vitæ vivet, & non morietur. A restitutione incipiendam vitam novam, seu veram conversionem, consistat sacrum hoc Sapientis oraculum: Initium vitæ bonæ, facere justitiam, reddendo scilicet unicuique quod suum est. Hinc incipiendum exemplo suo docuit Zachæus: Et si quid aliquem defraudaveris, reddo quadruplum. Nulla præter impotentiam sive summam egestatem, iis qui res alienas quolibet modo furripuerunt, aut invidis Dominis retinent, suffragatur excusatio, quo minus restituant absque mora. Pessimam hominum ge- nus commemoras, cui penitentia medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur penitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed si restitueris, inquit, à meo statu excidam, ad extremam egestatem redigar, filii mei mendicare cogentur. Ad hunc statum per injustitiam, rapinam, furta, fraudes ascendi- disti, justitia postulat ut descendas. Si ad egestatem res- tituendo redigaris, hæc pœna dignus es: toletanda est patienter & amplectenda ut salves animam tuam, qua

Ezechiel. 27.
14

Luc. 12.

S. August.
Epist. 151.
al. 14.

nihil tibi preciosius esse debet; ut Deum tibi reddas propitium; ut eternam damnationem vites. Si filii tui probi sint & iusti, Deus illis providebit. *Non vidi iustum derelictum, nec semen ejus quarens panem.* Ex rebus alienis providere illis salvâ justitia non potes. Id si feceris, tibi, illisque eternam damnationem arcessis. Velles-ne ut alii bona tua raperent ad providendum filiis suis? Quod igitur non vis tibi fieri, alteri ne feceris. Primum legis naturæ principium est in Evangelio renovatum. Labora ut victum compares: laborare, & labori assuescere, ab alieno abstinere, verbo & exemplo filios doce. *Qui furabatur; jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Satisfaciam, (inquis) elemosynas largiendo pauperibus, sacra anniversaria in Monasteriis fundando. Prius restitue, deinde elemosynas erogabis... Ex propriis, non ex alienis & malè partis faciendâ elemosyna. *Honora Dominum de tua substantia* (inquit Sapiens) *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Vide Lib. 4. Theolog. Dogm. & Moral. Cap. 3. Art. 11. Regulâ 32. De furto lege, Cap. 9. ejusdem Libri, Art. 2. & 3. De restitutione, Art. 6.

Qui rem alienam se non habere, per Dei gratiam agnoscunt, nec damnum grave proximo unquam intulisse, ante Pascha examinent num à cupiditate & avaritia, quæ radix omnium malorum est, liberi sint. Hæc usuratum, fraudium, omnis generis furtorum origo. Hæc miserum Judam ad furtum pecuniæ, Christi & Apostolorum usibus destinatæ, ad sacrilegam Communionem, ad venditionem Magistri Dominique sui impulit. *Amorâ pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucrâ cupidâ etiam pro exiguo perire non metuit.*

s. Leo Serm.
de Pass. Dom.

Psal. 103.

Epist. 4. 21.

Prov. 3.
Eccl. 10.

nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, ubi avaritia sibi fixit habitaculum. Igitur sint mores sine avaritia, contenti presentibus. *Ipsè enim (Deus) dixit: Hebr. 6. Non te deseram, neque derelinquam.*

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.
1. Petri II. 21. 22. 32. 24.

Quis passus est? Quid passus? Pro quibus? Propter quid? considerandum. Quis? *Christus, Dei Filius, verusque Deus, Christus Dominus noster, Dominus virtutum, Rex gloriæ, Pontifex innocens, impollutus, Sanctus sanctorum: Qui peccatum non fecit.* Quid passus est? Acerbissimos dolores, in anima, corpore, membris, sensibusque omnibus; mortem crudelissimam & ignominiosissimam in Cruce. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Pro quibus passus? Pro creaturis suis, pro servis, pro injustis, pro peccatoribus, pro ingratis: *Pro nobis.* Propter quid, quem ob finem passus? Ut nos redimeret, ut nos sanaret, ut nos à morte peccati liberatos ad vitam justitiæ revocaret. *Ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.*

Deus & homo Christus verè passus: non tamen passa Deitas. (Lib. 1. Quest. 2. Art. 5. §. 1.) Acerbitas

passionis Christi... Interior animi dolor in Christo gravissimus... Corporis dolores in Christo patiente acerbissimi (*Ibid.* §. 2.)

Mortis genus, quam pro nobis Christus passus est, fini, quem sibi proposuerat, convenientissimum fuit. (§. 3.) Figuris & oraculis Scripturarum mors Christi, generisque mortis, adumbrata & prædicta sunt. Figura, Abel, Isaac, Agnus paschalis, Serpens æneus, Hircus emissarius, Vacca rufa... Prophetarum vaticinia de morte Christi in Cruce (*Ibidem*)... Christi passio & mors voluntaria fuerunt & libera, quamvis præcepto Patris passus & mortuus sit, Patremque metu mortis imminentis oraverit ut ab eo transiret Calix ille. Christus affectus nostrorum liberrimè suscepit... Quas ob causas?... Discrimen inter affectus Christi & nostros. (§. quinto ejusdem Articuli.)

Immensa ex passione & morte Christi beneficia in nos redundarunt. 1. Liberatio à peccato. 2. Liberatio à diaboli tyrannide. 3. Solutio pœnæ peccatis nostris debita, divinaque justitiæ placatio. 4. Cæli referatio. (§. sexto ejusdem Articuli.)

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Christus in passione sua omnium virtutum exempla nobis dedit... Christi patientis & morientis caritas... Pietatis erga parentes exemplum dedit Christus moriens... Christi patientis & morientis humilitas & obedientia... Christi patientis & morientis mansuetudo. Christi patientis & morientis patientia. (§. septimo ejusdem Articuli.)

Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Christi Jesu claritas & gloria in passione & cruce promicans, & per passionem crucemque parata. (§. octavo ejusdem Articuli.) In passione & Cruce se Deum verum demonstravit... Per passionem & crucem victor diaboli & mortis exitit. (*Ibid.*) Crux Christi, Altare Sacrifici... In Cruce Ecclesia

Hebr. 2. 9.

cum suo Capite Deo immolatur. (*Ibid.* n. 3.) Crux Christi, tribunal judicantis. (*Ibid.* n. 4.) Crux Christi, cathedra docentis, (*Ibid.* n. 5.) Crux Christi, thalamus Sponsi. (*Ibid.* n. 6.) Crux Christi, thronus regnantis. (*Ibid.* n. 7.)

Christus pro peccatoribus passus est, & ab iis quotidie patitur, qui ipsum rursus in semetipsis crucifigunt, ut ait Apostolus: *Rursus crucifigentes sibi metipsos Filium Dei, & ostentis habentes.* In Republica Judæorum, cum inventum fuerat hominis occisi cadaver, & ignorabatur cædis reus, Seniores vicinioris civitatis veniebant ad interfectum, lavabantque manus suas super vitulam piacularem in valle percussam, dicentes: *Manus nostra non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitijs esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel.* En hominis Dei Jesu Christi crucifixi, corpus mortuum & exsangue. Cædis ejus reum se negat Pilatus, manus suas lavans coram populo: *Innocens ego sum* (inquit) *à sanguine Justis hujus.* Reos se negant Judæi: *Non licet nobis* (inquiunt) *interficere quemquam.* Accedite, Christiani, accedite: an lavare audebitis manus vestras, & dicere, *Manus nostre non effuderunt sanguinem hunc?* Peccatum vestrum confitemini ut in hoc generalis Expiationis Felto vobis per ipsum, quem effudistis, Christi sanguinem remittatur. *Sanctum & justum negastis; Auctorem vitæ interfecistis... Pœnitentini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

Heb. 4. 6.
Deuterou. 27.

Act. 2. 14. 15.
9.

DOMINICA PASCHÆ.

Jesum queritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic. Marci xvj. 6.

Psal. 67. 21. **D**eus noster Deus salvos facienti, & Domini Domini exitus mortis, (ait Rex Propheta.) Christus igitur sub imperio mortis manere non poterat, sed resurgere debebat secundum Scripturas, ut idem Propheta Spiritu Dei afflatus prædixit, Psal. 3. 6. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Psal. 15. 9. *Propter hoc latatum est cornu meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non dereliques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vite, adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.* Ideo in monumento alieno, eoque novo sepultus est Jesus, quia brevi resurrecturus erat. Etenim tumulus his paratur, qui sub lege sunt mortis, Vltor mortis tumulum suum non habet. *Qua enim communi tumulo & Deo? Unus ille inter mortuos liber, quorum sepulchra domus illorum in æternum, in tumulo fuit ad modum transeuntis: Singulariter sum ego donec transeam,* utpote mortem ipsam in sede sua expugnaturus, secundum illud Osæ Prophætæ oraculum: *Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero, inferne.* Hic fidei nostræ fundamentalis Articulus hodiernâ die vobis explicandus: *Tertia die resurrexit à mortuis.* Resurrexit propria virtute. Resurrexit primus omnium. Resurrexit tertia die, prout ipse prædixerat. Resurrexit circa diluculum, illucescente jam die. (*Lib. 1. Quest. 2. Art. 6. §. 2.*)

*S. Ambrosius
Lib. 10. in
Lucan.*

*Psal. 47. 12.
Psal. 140. 70.
Osæ. 13. 14.*

Hoc in Mysterio tria consideranda sunt. 1. Resurrectionis Christi necessitas. 2. Resurrectionis Christi gloria. 3. Resurrectionis Christi fructus & utilitates eximiaz.

1. Christum resurgere oportuit, ad divinæ justitiæ commendationem . . . 2. Christum resurgere necesse erat, ad fidei nostræ confirmationem . . . 3. Christum resurgere necesse erat ad sustentationem sp̄ci nostræ . . . 4. Christi resurrectio necessaria erat ad institutionem nostram . . . 5. Necessaria erat ad salutis nostræ consummationem. (*Ibid. §. 3.*)

II. Resurrexit idem Christi corpus verum . . . Resurrexit Christi corpus integrum . . . Resurrexit gloriosum . . . Christus post Resurrectionem vix agnosci ex carne potest. Quo sensu Christus post Resurrectionem totus Deus? . . . Resurrectio, nova Christi Jesu natiuitas, æternæ generationi maximè affinis. (*Ibid. §. 4.*)

III. Resurrectionis Christi fructus & utilitates eximiaz. Primus resurrectionis Christi fructus, resurrectio corporum . . . Resurrectionis Christi fructus alter, animarum nostrarum resurrectio. (*Ibid. §. quinto.*) *Deus qui suscitavit Jesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitat autem Spiritum ejus in nobis.* Corpus nostrum etiam idem, integrum, gloriosumque resurget, post tres dies mysticos. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.* Prima dies est passionis, quâ hîc in mundo tribulationes varias sustinere nos oportet, gloriamque bonis operibus & patientiâ promereri, sicut Christus meruit gloriam sui corporis, nominisque sui exaltationem patientiâ & moriendo. Dies secunda, est dies mortis, quâ in sepulchro quiescendum est usque ad finem sæculi. Tertia dies est resurrectionis generalis, quâ summo mane à somno mortis excitabimur. Pharaonis pinctura in carcere de-

Rom. 8. 11.

Osæ 6. 3.

Genes. 40. 12.